

† N E C R O L O G I A †

† R. P. Adolphus Schlitter (1860-1931)

(Vive-Prov. Chilenae)

Apostolus Iesu Christi. Haec verba, quibus S. Paulus se ipse in suis epistolis designare solet, optime etiam desideratissimi P. Adolphi Schlitter vitam terrestrem complectuntur.

Adolphus Petrus Franciscus Schlitter lucem aspexit die 23 Ianuarii 1860 in Lotharingiae pago Falck, districtus Thionville seu Diedenhofen, et biduo post lustralibus aquis ablutus est. Pater, eo loco ludimagister, simul cantoris et sacristae et consiliarii fabricae muneribus fungebatur. Optimus vir proli suae eundem sanctum Dei timorem inculcabit, quo ipse erat repletus, et generosus non modo primogenitum Adolphum, sed etiam alterum filium Franciscum Xaverium Deo in Congregatione nostra donavit.

De Adolphi vocatione, priusquam in lucem editus esset, iam ipsa caelorum Regina decreverat; nam mater Maria Nippert, prima prole grava, febri cerebrali correpta est, et medicus, nolens iuvenibus coniugibus rem declarare, loci parocho dixit vix unam probabilitatem contra centum haberi, ut mater servaretur. Quo terribili nuntio perculsus, maritus Beatissimae Virgini promisit se, si malum averteretur, filium destinare alicui Ordini religioso ipsius cultui peculiariter consecrato. Fervidae patris preces exauditae¹. Itaque, cum Adolphus ad aetatem 12 annorum pervenisset, pater, probe sciens, quanto zelo Patres Redemptoristae collegii Teterchen cultum Matris de Perp. Succ. promoverent, filio ingressum in Institutum Alfonsianum proposuit. Revera Adolphus eodem anno litterarum studia in domo Teterchen una cum aliis pueris eiusdem aetatis incipit, quae primum in domo S. Nicolai a Portu et inde ex d. 29 Iunii 1872 Contaminae continuavit.

Iam Augusto mense 1875 Avon petere ei licuit ad novitiatum Magistro P. Chavatte peragendum. Ibi, cum contra hiemis frigora se non satis defendaret, intestinorum morbum contraxit, quo deinceps ad mortem usque laborabat.



¹ Ergo pater, qui a. 1890 vita excessit, in testamento suo de filio primogenito scribere potuit: «Inde a nativitate Beatissima Virgo eum filium suum privilegiatum fecit, et continuo suis moribus ac corde suo amoris pleno me summo gaudio affecit».

Professus aetate 16 annorum (24 Sept. 1876), peregrinationum studen-tatus Gallici particeps fuit, quarum stationes Avon, Houdemont, Oosterhout, Dongen. In studentatu non minus quam in iuvenatu egregiae Adolphi dotes eius Superiores quodammodo fugisse videntur, id quod eum minime impedivit, quominus et scholarum et feriarum tempore asiduus esset in colligendis thesauris futuro ministerio sacro aptis. Sacerdos ordinatus est ultimo die Februarii 1885.

Vix P. Adolphus Schlitter, studiis absolutis, Historiae ecclesiasticae Lector et Praefecti Socius nominatus est, cum medio anno 1886 iubetur Hispaniam petere, tum ad Provinciam Gallico-Helvetica pertinente, et S. Teresiae patria ei per quindecim annos continuos altera patria evadit. Primum per annum in iuvenatu Espinensi consistit, omnis iuri-dictionis expers, ut et ipse novam linguam addiscat et simul pueros prae-paratoria classis instituat. Dein Navae Regis et Granatae arma parat ministerio apostolico, sed ubi huius novae vitae gaudia degustare incipit, in iuvenatum remittitur, Lector supremae classis grammatices. Novo officio se illico totum dedicat; at exacto biennio e pratis floridis elegantiae Latinae et Hispanicae avocatur ad Sacram Scripturam et postea etiam philosophiam in studentatu docendam, quas quidem cathedras cum laude per triennium tenet.

Inde ex a. 1894 Adolphus noster fuit missionarius, apostolicis ardori-bus incensus, primum per octo annos in Hispania, tum per reliquam vi-tam in Chilena republica, ubi idem Hispanicum idioma in usu est. Itinera eius apostolica, sive in Europa sive in America, quis enarrabit? Et Chilenam quidem terram totam, a Terra Ignis ad nitrosas regiones septen-trionales, omnium nostrum primus qua apostolus peragravit. Anno 1912 etiam Consultor P. Vice-Provincialis creatus est, et mense Februario 1915, cum rescivisset S. Bernardi in iuvenati litterarum magistrum desiderari, ipse se huic operi obtulit ad apostulatum ope iuventutis bene cultae multipli-candum. Die autem 11 Augusti eiusdem anni cum magna sua admir-atione recepit diploma Rectoris domus, et postquam per triennium totus, immo forte nimius fuit in exsequendo hoc munere aliquique negotiis plu-rimis, non sine aliqua sua admiratione se officio excidisse vidit.

Nos hic non habere manentem civitatem bonus P. Adolphus satis superque expertus est, cum annis 1918-1924 haud minus quam sexies ei residentia mutanda fuit. Infatigabili missionario licuit d. 24 Sept. 1926 aureum professionis iubilaeum peragere. Eum vota sua in Basilica S. Ia-cobi lautissime decorata renovantem magna confratrum corona circum-dabat, atque intra Missarum solemnia Ill̄m̄us D. Labb̄, Vicarius Aposto-licus de Tarapacá seu Iquique, amici eximias qualitates Ligorianas exaltavit. Qui etiam intra prandium nomine populi Chileni vota sua obtulit, quod idem fecit Nuntius Apostolicus nomine ipsius Summi Pontificis et Ec-

clesiae universae, Illm̄us D. Edwards, Coadiutor Archiepiscopi S. Iacobi, nomine episcopatus et cleri Chilensi, tandem quartus Praelatus, Illm̄us D. Contardo, Episcopus Temucensis, iubilati confrater et discipulus. Sed is, qui tot honores humili gratoque animo receperat, iam postridie peram suam, diuturno usu plane detritam, denuo assumpsit, animas quaesitum et ad caelum adductum.

Patri Adolpho post hoc iubilaeum non iam multum temporis relinquebatur ad ministerium suum apostolicum exercendum, atvero eo plus ad patiendum pro Deo et animabus. Tumor quidam spinae dorsali inhaerens et nervos locomotorios premens paulatim crura eius reddebat immobilia et dolores excitavit ineffabiles. Bis medici consilium iniere de instituenda operatione chirurgica, at cum exitialis exitus esset longe probabilior, ea tandem supersedendum esse censuerunt. Ipsa caelorum Regina servum suum fidelem immanibus istis tormentis liberavit festo Visitationis sua, 2 Iulii 1931.

Quoniam vitam confratris externam breviter narravimus, moralem eius effigiem his verbis complectamus: R. P. Adolphus Schlitter 71 annis vitae suae permultum oravit, permultum laboravit, gravissima perpessus est spiritu vere apostolico: *Apostolus Iesu Christi*.

Ac primum quidem *permultum oravit*. Illi, quibus in eius internum sanctuarium altius penetrare concessum est, affirmant memoriam Dei fuisse columnen eius vitae terrestris, atque ardenti continuoque desiderio eum id appetivisse, ut in Deo solo viveret. Exm̄us D. Labb , quem supra laudavimus, de amico haec narrat:

*Ego ipse, quo tempore parochus eram, per bimestre duram missionarii vitam cum P. Adolpho in omnibus territorii mei viculis degi. Vesperi primus in dormitorium commune se recipere solebat, et quoties eius socius et ego, iuniores, unicum cubiculum pauperrimum intrabamus, eum etiamtum ante lectum genibus innixum et fervidae orationi immersum deprehendebamus. Eodem autem orantis situ eum mane hora quarta cum dimidia, signo surgendi dato, conspiciebamus. Praecipuum igitur ad animas convertendas medium ei erat precatio ».

Cum ultimo morbo P. Apolonus tandem impotens factus esset ad Officium divinum recitandum, petiit ut in octo rosaria completa commutaretur, et progrediente infirmitate disertis verbis veniam efflagitavit singulas decades separatim recitandi, fortunatum se existimans, si a confratre in hoc pio exercitio adiuvabatur. — Hac ultima periodo, insomniis et continuis tormentis cruciatus, paene diu noctuque orabat, et si quando se animo minus quietum sentiebat, satis erat ad pacem ei reddendam nonnullos ex illis seraphicis affectibus legere, quos S. P. N. Alfonsus in libello *Visite* inscripto nobis reliquit. Saepe aegrotans diu Crucifixum contemplabatur et lente ei amoris osculum dabat; tum manibus et oculis ad imaginem Matris de Perp. Succ. conversus, filii fiducia eius succursum

implorabat. Ultimis diebus praeferebat lingua Germanica easdem precandi formulas repetere, quibus eius infantuli anima primos ad Deum gressus fecerat, quasi vitae suae religiosissimae circulum claudere voluisset.

2º R. P. Adolphus Schlitter *permultum laboravit*. Sane qua Lector non potuisset in variis disciplinis tradendis tantam apud discipulos auctoritatem assequi sine labore assiduo; nunquam enim praevium aliquod tempus ei concessum est, ut ad lectoratum se praepararet.

Maxime vero in apostolico ministerio admirabilis eius industria apparebat. Ad litteram servabat verba Constitutionum: « Quilibet in promptu ac rite elaboratas habeat contiones et catecheses pro quovis hominum coetu, siquidem ad omnia promptum expeditumque oportet esse missionario » (n. 46). Etiam veteranus miles cordi habebat sermones, instructiones, conferentias suas recognoscere et expolire atque nova arma parare. De variis argumentis missionalibus ternas quaternasve contiones diversas exaraverat. Exstant ex novem ultimis annis sermones eius panegyrici novi de Sanctis Petro, Clemente Papa, Bernardo, Francisco Xav., Ioanne B. de La Salle, Ioanne Eudes, Ludovico, Rosa, Teresia, Alfonso (4 vel 5), de B. M. V. a Perp. Succ. et a Monte Carmelo.

Praedicatio eius erat vere Alphonsiana et apostolica, simplex et popularis, solida et practica, simul tamen originalis. Amabat exordia ex abrupto; propositio et divisio sermonis vulgo quoddam opus caelatum erat; argumentatio evadebat saepe dramatica et exemplis plane novis illustrabatur. In quadam civitate parochus, audito eius de particulari iudicio contione, exclamabat: « In Chilena republica non invenitur contionator, qui aequet P. Adolphum arte Evangelium ratione commoventi exponendi! ».

Anno 1912 vel 1913 a confratribus Vice-Provinciae Argentinae cum duobus sociis invitatus erat ad missiones in variis magnis urbibus praedicandas. Quodam vespero eius socius P. Contardo ultima hora se vocis defectu impeditum vidi ad conferentiam coram viris honestioris conditionis habendam. Ne tanta multitudo virorum verbi Dei ieuna dimitteretur, P. Adolphus, iteratis precibus cedens, sacrum suggestum ascendit. Sermonis argumentum erat divinitas religionis christiana, Christi divinitate comprobata. Quam quidem rem adeo tractavit solide, adeo lucide, adeo vivide, ut in fine illi homines terrena sapientes incomparabili Christi magnitudine velut abrepti apparerent.

Captabat attentionem cuiusvis auditorii, ruricolarum incultorum, poenitentium in Boni Pastoris domibus degentium, carcere detentorum, sacerdotum, monialium. Mater Provincialis Sororum a Caritate Christiana, alias ab Immaculata Conceptione vel *Mallinckrodt*, post mortem eius scripsit: « In conferentiis hebdomadariis haud minus quam in exercitiis spiritualibus eius sermo animos nostros penetrabat. Eum audiebamus delectione semper innovata. Artem possidebat singularem reddendi virtutem facilem, attrahentem, quasi palpabilem ».

P. Adolphus Schlitter 28 annis Chilensi sui apostolatus 548 labores maiores perfecit, ad quem numerum pauci missionarii pervenient. Minus quidem gratum ei erat domi Carthusiani vitam degere quam foris evangelizare; nihilominus domum redux ad amussim servabat Regulae monitum: « Amantissimi sint solitudinis, nec absque necessitate propriis cubiculis exibunt ». Ita factum est, ut hic anachoreta, laboris amantissimus, fere universam domus bibliothecam sibi familiarem redderet et assidue lectionis fructus in infinitis foliis ac scidis colligeret. Immo ipse magis magisque evadebat encyclopaedia ambulans, in itineribus quoque apostolicis diligenter omnia observans et nova semper addiscere studens. Cum sacerdotibus de difficillimis sacrae scientiae quaestionibus disserere poterat, cum agricolis de re rustica, cum pescatoribus de oceani mysteriis et ita porro.

Nec P. Adolphus solum libros libenter legebat, sed ipse quoque calamii apostolatum momentis subsecivis exercebat. Complura quidem manuscripta, quae in Europam misit, vel typographorum aut tabellariorum incuria vel alio infortunio interierunt; alia tamen lucem viderunt et animabus benefacere pergunt. Ne hoc necrologium nimis excrescat, eorum elenchum ad Bibliographiam universalem Congregationis amandare oportet, quam mox in vulgus exire posse speratur. Liceat vero saltem iudicium hic referre, quod censor ecclesiasticus de libro *El Apóstol del Hogar* (Apostolus domesticus) expressit: « Ea quae homo catholicus his diebus scire debet brevius, clarius, solidius simulque simplicius quam in hoc libro exponi nequeunt ».¹

^{3º} R. P. Adolphus Schlitter *gravissima in vita perpessus est*, immo tanta, ut eum vere martyrem appellare liceat. Vitam suam sacerdotalem fere totam patriae exsul consumpsit apostolatum exercens sermone non patrio. Intestinorum catarrhum, quem novitus imprudenti sua mortificatione contraxit, numquam amisit. Paulatim organa digestiva paralysim quamdam subierunt, et haemorrhoides chronicae inde effectae confratri occasionem praebuere multiplicem, velut cum equitabat vel diu in confessionali commorabatur, ponendi actus vere heroicos. Quis non admiretur animi fortitudinem in hoc missionario, qui in fine longi itineris equestris, madens sanguine, tamen missionem ardenti zelo incipit, et ipse insequenti nocte lintea sua lavat? Quondam in oppido S. Ferdinandi atrocibus doloribus vexatus volutabatur ut vermis; at hora praefixa sacrum pegma ascendit et tanto ardore expiatorium sermonem de SS. Sacramento habuit, ut multitudo ad lacrimas compunctionis commoveretur.

¹ Hic liber unicum opus Schlitterianum est, quod in nostra Romana bibliotheca reperitur. Id denuo probat minime omnium operum et opusculorum a nostris evulgatorum bina exemplaria Romam mitti, vel ad Consultorem Generalem Secretarium, vel ad Analectorum moderatorem, etsi hoc saepius inculcatum est!

Oboedientia quoque religiosa identidem P. Adolpho sacrificia haud communia imposuit, verum etiamsi quandoque novam suam residentiam petebat silens et oculis madefactis, tamen generosus suum Issac immolabat. Eius epistolae ad superiores datae exempla observantiae ac filialis submissionis sunt.

Quid dicamus de ultimorum annorum martyrio? Medicus primarius nosocomii S. Iacobi, ubi P. Adolphus diu commorabatur, aliquando dixit: « Patris patientia nos medicos stupefacit. Habuimus alios infortunatos eodem malo affectos, sed in benignioribus condicionibus; nihilosecius prae dolorum magnitudine adeo clamitabant, ut ad eos tranquillandos non iam nobis media prostarent. Verum infirmus noster omnia incredibili patientia suffert, quam nos quidem eo magis admiramur, quod melius dolorum atrocitatem novimus ». Corporis tormentis poenae interiores interdum se adiungebant, sed in mediis his cruciatibus P. Adolphus exclamabat: « Cuncta pro Deo, pro Congregatione, pro animabus! Dominus debilem meae naturae partem deprehendit; itinerari et contionari semper in animo habebam, et nunc huic sedi affixus sum. Sit nomen Domini benedictum! ».

Sed haec hactenus. Qui plura scire cupit, legat pulcherrimum necrologium infra in bibliographia annuntiatum. Ibi alia facta referuntur quae eius amorem erga Congregationem et S. Fundatorem, eius spiritum paupertatis, humilitatis, modestiae, caritatis fraternae similesque virtutes Redemptoristae proprias comprobant, et in exitu haec verba leguntur ex litteris Exmī D. Labbē depromptas: « Valde dignus est longa memoria R. P. Adolphus Schlitter. Quam gloriosum alicui Congregationi religiosae tales sacerdotes possidere! Mors eius postremus triumphus fuit, et Institutum, quod eum inter filios suos recepit, minus doloris declarationes quam congratulationes accipiat necesse est».

R. P. Adolphus Schlitter, *apostolus Iesu Christi*, Apostolorum praemium iam consecutus esse optimo iure creditur. Utinam nos omnes nostrum cursum eodem zelo, eadem fortitudine, eadem fide consummemus!